



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. De ca,bio addita pecuniæ custodia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

nibus expensis, valeat pecunia, ut supponimus, nec Reipublicæ, nec alteri, quia hæc, vel alter nullum damnum passi sunt; ergo cum aliud assignari nequeat, nulli restituendum est. Nec peccant mortaliter, ut habet idem Mol. loco citato, quia, si damnum alteri non faciunt, unde nam (propter aliquam venialem inobedientiam) habetur peccatum mortale?

3. Ex dictis num. 1. Illud discrimen collige inter Ministros deputatos ad hoc officium, & inter non deputatos; nam hi non possunt tantum pretium exigere, quantum Ministri ex officio deputati? Qui enim tenentur ex officio, coguntur congregare varietatem monetarum, subeunt pericula, expensas, labores, &c. quæ, saltem omnia, & necessariò, non subeunt non deputati.

4. Cælestinus T. de Cambiis, cap. 2. existimat, tantumdem posse exigere eos, qui sponte exercent Campsariam, quantum qui ex officio, in locis, in quibus pretia dictorum minorum cambiorum, jam sunt constituta, sive ex taxa Principis, sive ex usu recepto. Cujus doctrinæ ratio esse possit, quia tunc jam pretium Cambii in foro est commune, atque adeò iustum pro omnibus exercentibus Campsariam. Quare si idem usus etiam esset inter homines privatos, qui talem artem ex officio, sive voluntario, sive à Republica injuncto non exercerent, profectò, & hi possent, modo dicto lucrari; sicut enim, si ratione latrociniorum auctum sit pretium frumentum, omnes possent, aucto pretio, vendere; ita in hoc casu possent privatus cambie pretio secundum æstimationem communem.

5. Hæc pro doctrina Cælestini. Verum, diligenter videndum, an ejusmodi usus universaliter adsit; ego enim ejusmodi universalem usum nondum vidi: licet enim in aliquibus Regionibus, si deputatus ex officio det tibi unum, verbi gratià, tarenum argenteum, soleat à te pro suo lucro unum, verbi gratià, gradum Siculum acquirere, non tamen acquirere simile granum solet, si tu des illi tarenum argenteum, ille verò grana tibi reddat ærea. Multò minùs ergo Privatis aliter facere licebit.

6. Quæres: An licitum sit nummulario cuicumque permutare pecuniam hic Panormi, v. g. ut alibi, v. g. Neapoli. aliam minutam, vel ibi usitatum recipiat, sed ita, ut acquirat lucrum, non ad rationem lucri Cambii per litteras, de quo mox, sed ad rationem lucri, quod ex tali minuto Cambio conquiri solet?

Respondeo, cum Caiet. in opuscul. de Cambiis, cap. 6. licere, nam hoc lucrum ex minuto Cambio solet esse minus, quam illud ex Cambio per litteras, nec loai distantia reddit illicitum, quod ex se licitum est.

SECUNDA DIFFICULTAS.

§. III. De Cambio, additâ pecunia custodiâ.

1. Hæc etiam id reducitur, nam dum deponitur aliquando pecunia apud Mensam, seu, ut Panormi consuevit loqui, apud Tabulam, redditur deinde non eadem n. sed alia, unde videtur esse quoddam Cambium, quod Cambium custodiæ appellant nonnulli. De hoc igitur difficultas est: An Tabularii possint lucrum aliquod ex tali custodia recipere?

2. Respondeo: Si sint Ministri ad hoc ex officio deputati propter sumptus, quos habent in conservandis pecuniis, in exhibendis libris, & in subeundis cæteris laboribus, licet aliquid moderatum accipere clarè colligitur ex dictis. Ita Val. l. 3. in 2.2. d. 5. quest. 23. p. 3. Lop. de contr. l. 2. c. 2. concl. 2. Lege item Delug. d. 28. de iust. à n. 61. & totam sect. 6. Verum, multis in locis nihil solvitur à deponentibus pecuniam, vel ab extrahentibus illam à Banco, vel Tabula, ne propter numerationem quidem pecuniæ, jam alicubi ejusmodi deputati ad custodiam, non sunt merè Depositarii; non enim debent reddere eandem pecuniam, sed tantumdem,

unde cum fiant illius domini, possunt illa uti ad licitas negotiationes, & sic multum lucrati. Alicubi verò restituta quædam, imò, & tota pecunia, de qua non disponit expressè is, qui illam deposuit, vel ejus legitimus hæres, attribuitur Tabulæ cum non contentendo ejusdem Tabulæ lucro. Hæc igitur, & similia emolumenta compensant laborem custodiæ, unde nihil pro illa solvi consuetum sit.

3. Quod si pecuniam custodiens sit homo privatus, potest, vel non potest lucrum aliquod accipere juxta obligationem, periculæque, quæ suscipit, compensata utilitate ex depositis pecuniis, ut habetur ex dictis.

4. Illa duo quæ sita nuper à nobis fuerunt. Primum, si quando est solvenda ratio custodiæ, à quo est solvenda, à deponente pecuniam, an à Tertio, cui fortè deponens mandavit, ut illi Tertio numeraretur? Secundum, Potestne Custos ejusmodi, quando deinde reddidit, seu solvit Domino pecuniam aliquid accipere ob laborem illam enumerandi?

5. Respondeo ad primum, solvendum esse à deponente. Ita Valent. loco citato, nam labor custodiæ assumitur in gratiam deponentis, non verò in gratiam illius Tertii, cujus justitia postulat, ut integrè ipsi solvatur, quod ei debetur.

6. Ad secundum, Respondeo, Custodem nihil posse recipere ob dictam numerationem; nam hanc suscipit in gratiam suam, ne plus solvat, quam debet. Cum autem paulò superius dixi, Nummularium posse aliquid sumere pro numerandis pecuniis, idè dixi, quia ipse subinde numerat in gratiam alterius, ut notat Lessius, l. 2. cap. 25. num. 79. & quia debet numerare multas pecunias hinc inde conquisitas, ut sit promptus adambiendum, non verò ob numerationem, quam exhibet, quando aliquid ipse debet.

7. Hæc responsioni ad secundam hanc quæstionem se opponit Sotus, l. 6. q. 11. art. 5. & Valent. loco citato, quatenus asserit, esse consuetudinem aliquid accipiendi ratione numerationis: unde videtur (Inquit Sotus) Republica ad id licentiam concessisse. Sed Respondeo, à Republica hanc licentiam nunquam concessam fuisse, quia Republica non potest licentiam dare non solvendi tamen, quod ex iustitia creditori debetur; nisi, quando bonum publicum requireret oppositum, quod bonum in hac re minima non videtur adesse.

8. Nihilominus puto, sententiam Soti in eo casu mihi videri probabilem, quando Custos nihil lucri habet ex custodiâ pecuniarum. Tunc enim, licet, dum illam tibi reddit, suâ intersit reddere, quantum debet; tamen hoc totum pendet à Beneficio, quod tibi contulit, volendo tuam pecuniam sine ullo suo emolumento custodire. Cur ergo ex eo Beneficio detrimentum patiat, & tibi tuam pecuniam enumerare propriis sumptibus obligetur?

TERTIA DIFFICULTAS.

§. IV. De eo, qui ex industria cambit monetam alterius.

1. Famulus habens à Domino viginti, v. g. tarenos ut cum illis satisfaciat sui Domini creditoribus, velemat pro suo Domino vinum, oleum, &c. utitur hac industria, ut illos permutet in monetam æream cum suo lucro; accipit enim moderatum quid, unum, v. g. granum ex singulis tarenis, sibi quæ illud reservat. Quærimus, an hoc unum licitè possit retinere, posito, quod jam per monetam æream placitum Domini bene complevit, ut hic semper supponendum est.

Respondeo, postea, cum Mol. d. 402. Less. loco citato, num. 18. Bonac. de contr. d. 3. quest. 5. de Cambiis, num. 3. Delug. d. 28. de iust. à num. 24. quia hoc est lucrum ejus industriæ, non enim pecunia est sicuti ager, & pecus, quæ fructus pariunt Domino, sed est ex se sterilis: quare totum